

ad hanc impatien-
leo?
itterae sunt in Gal-
rem expedire ullo
on me adiuves?
animo, si illam no-
tempore a scholis
aberant.
tum scholae esse

magister:
ini calvae ossa.
t alter:
lvam pluribus ossi-

gens:
em, si omnia hic

nata.

ugnis certare periti
ia tecta tuentis.
is prodire libellum.

g; refertur in undis,
olis imago meis.
mihi: pungere sollers,
dieque manu.

riore fasciculo pro-
1) *Mater, Ater, Ter,*

IOSFOR.

is responsa.

etricoviae. - In utram-
a namque accepimus.
ILOSOPHIAE DISCIPI-
manissime vota vobis
o. *Durate et vosmet*
! - Praeter ALMAM
s praeconia alia nunc

A SECRETIS.


Moderator, Sponsor.
GLOTTIS VATICANIS.

ALMA ROMA



QVID QUID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C. DEL VECCHIO.



Pro "ALMAE ROMAE,, Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur,
pretio quod sequitur:

IOSEPHI FORNARI **Communia vitae**. Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda:

Fasc. II: *Voces animalium, De officiis*. – Lib. 3,00.

IOSEPHI FORNARI **Fridianus** et **Francisculi prandium**, Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. – Singulae lib. 2; ambae lib. 3.

HERMINII IACOBELLI **In campo latinitatis novi flores**. – Si tegumento solut. lib. 5; si xylina structura aureoque titulo decorat., lib. 6.

I. B. FRANCESIA **Euplius, Ad Romam**, Actiones dramaticae. – Singulae lib. 1,50.

(Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus).

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE Collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXIV, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 250 pro Italia; pretium duplicatum, libell. scilicet 500, pro exteris gentibus, suae pecuniae valorem maiorem habentibus, quam ut Italicae pecuniae valor nunc est.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite*, requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis est pro Italia libell. 12; pro Anglia shell. 12, $\frac{1}{2}$; pro Batavia flor. 7,50; pro Hispania peset. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro Helvetia franc. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 20 exaequans; ante solvendum rectoque tramite mittendum ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.

De latinarum litterarum historia praelectiones ¹

3. Ad fragmenta interpretanda gradum facientes, monebimus lectores, multa obscura in iis reperiri, quae veteres ipsi iam non intelligebant. « Saliorum carmina vix ipsis sacerdotibus suis satis intellecta » aiebat Quintilianus (l. 6, 40); et Horatius aceto suo perfundebat eos, qui Saliare Numae carmen laudarent, et illud quod cum ipso ignorarent soli videri scire vellent (*Epist.*, II, 1, 86). Varro memorat (l. I, VII, 2) Aelium grammaticum quemdam in litteris latinis exercitatum (L. Aelium Stilonem), eiusque Saliorum carminum interpretationem, quam dicit exili littera expeditam et praetereuntem obscura multa.²

Versus Ianuli. Ex his versibus par fragmentorum servavit nobis Varro, qui, in VII^o Linguae Latinae, de origine verborum loquens deque verbis a veteribus poetis usurpatis, § 26^a ita scribit (lectionem praebeo codicis Laurentiani 51, 10, qui est XI saeculi, archetypus omnium ceterorum huius operis codicum): « *Casmenarum* priscum vocabulum ita natum ac scriptum

est; alibi *Carmenae* ab eadem origine sunt declinatae. In multis verbis in quo antiqui dicebant S, postea dicunt R, ut in Carmine Saliorum sunt haec: *Cozeulodorieso, omnia vō (= vero) adpatula coemisse, ian cussianes duonus ceruses, dun; ianusve vet pommelios eum recum* § 27: *fedesum, federum; plusima, plurima; meliosem, meliorem; asenam, arenani; ianitos, ianitor.* Quare e *Casmena* *Carmena*; e *Carmena*, *R* extrito, *Camena* factum. Ab eadem voce *canite*, pro quo in Saliari versu scriptum est *cante*, hoc versu:

divum empta cante, divum deo supplicante.

* Loquitur hic Varro de vocibus quae sunt *Casmenae, Carmenae, Camenae*, ubi vel R est pro S, vel littera una exteritur. Cuius exemplum proferat, praeter *Camenas*, etiam *cante* Saliaris carminis pro eo quod esset *canite*.

Ut a secundo fragmento incipiamus, locutiones quae sunt *cante (= canite)*, *Divum Deo* cuivis intelligi possunt. *Supplicante* verisimile est per errorem positum esse pro eo quod esset: *supplicate*. Restat vox *empta* quae quid sit nemo scire potest. Conici potest hic vocem *pa* latere, quae est pro *patre* (Fest. p. 244) unde ita emendarunt:

Divum patrem canite, Divom Deo supplicate,
sensu probabili et perspicuo. Divum Deus

¹ Cfr. fasc. sup.

² Alius interpres incertae aetatis fuit *Sabidius* quidam a Schol. Veron., in Verg. Aen. 10, 241 laudatus

Ianus est, quum Festus p. 36 dicat: «Ianus, cui primo supplicabant velut parenti, et a quo rerum omnium factum putabant initium». ¹

Venio ad prius fragmentum, quod multo est difficilius et vere obscurum. Longum est omnes conatus interpretationis et emendationis proferre. Perspicui sensus sunt solum verba «duonus ceruses» i. e. «bonus creator es», teste Festo, qui p. 17 s. v. *cerus manus*, ait: «In saliarum carmine *cerus manus* intelligitur: creator bonus; estque laus Iano Divom parenti et creatori omnium rerum aptissima». At in ceteris quid non obscurum? Certe in his verbis inest exemplum *S* litterae pro *R* adhibitae; sed ubi huiusmodi verbum? num in fine, ubi verba *pommelios eum recum* possunt intelligi: *potissimum* (Fest., p. 244 *pa* pro *patre* et *po* pro *potissimum* positum est in saliarum carmine) *meliosum* (h. e. meliorum) *recum* (h. e. regum), italice: «*Principalmente fra i migliori re*»? An illud *cusianes* habendum est pro «curiones»? Ita Corsseno videbatur: *Iani curiones*; at omnia incerta.

Aenigma aenigmatum primum verbum «*cozeulo-dorieso*» certe amanuensis etiam culpa a prisca lectione distortum. Nonnulli interpretati sunt: *O Zeul adriose*, ut Bergk, i. e.: «*O Sol gloriose*» (etrusce *sol* dicebatur *usil*; «*adoriosus*» idem est ac *ēvdošos*). Alii: «*O Zeul, adoriese*», ut Lander: «*O sole, sorgi*» (*adoriese*=*adorire* imperativa forma). Sunt qui coniungant insequens verbum «omnia» legantque: «*O Sol, adoris omnia*, «*O Sole sorgi sul mondo*». Sed ne nimiam fiduciam habeas veritatis, candide Lector, in memoriam revocabo, Corssen alia omnino de *Cozeulo* cogitasse; nam *cocculum*, *coculum* inde expiscanda esse illi visa sunt, id est vas ae-

neum coctionibus aptum (Festus p. 39 m=27 TEWZEWK *Der*); unde legebat; *Cozeulo dori eso* scilicet *esum* (cibum) in *cocculum dare* (*dori* pro *dari*, ut Fovii pro *Fabii*, *Dolobella* pro *Dolabella*).

Verba quae sequuntur: (*Omnia*) vero ad *patula coemisse*, *iancusianes* haud minori numero interpretationum locum dederunt. Illud: (*ad*) *patula* in mentem facile revocavit Iani *ἐπιθετα Patulcius*, qui aperit, et *Clusius* vel *Clusinius* qui claudit. (Vide MACROBIUM Sat. 49, 15). *Patula* igitur erant *templa Iani Patulcii* (CORSSEN), aut haec ipsa vox quae est *Patulci* vocativo casu hic legenda (ut placuit BAEHRENSIO, BIRTIO, CECI nostro, aliis); fortasse etiam *Clusius* vel *Cloesius*, vocativo casu *Cloesi*, latuit in illa voce *coemisse*, et a Baehrenso re ipsa expressa est.

Primum verbum *omnia*, quod nonnulli cum locutione: «*O Sol, adorire*», coniugunt, aliis videtur esse pro «*omina*», memorantibus Ianu ipsum apud Ovidium (*Fast.* 4, 135) pro omine interpretatum esse res quasdam in sacris suis adhibitas. ¹

Corssen ipse coniungebat: *Omina vero ad patula coemisse*, interpretatus: *Omina ad templa Iani colligere* (*conferre, concipere*).

Suus omnino in hac re Birtius, qui legebat: *O (ptimo) M (aximo) IANO*.

Nonnulli «*coemisse*» diviserunt ut esset: *cosmis es* vel *coemis es*, italice «*sei cortese*»; ita ut sensus esset: *Davvero tu, o Giano, apritore* (o=*presso al tuo tempio aperto*) *sei propizio*.

Restat vox *iancusianes*, ubi Corssen videbat *Iani curiones*, ut iam diximus; alii *Iancus* pro eo quod esset *Ianeus* acceperunt, memorantes Festum hanc vocem rettulisse et explicasse: *ianitorem*, et ex-

¹ Cf. MACROB., Sat., 1, 9, 14 de Iano loquens ait: *Saliorum quoque antiquissimis carminibus Deorum Deus canitur*.

¹ Quid vult palma sibi rugosaque carica dixi, Et data sub niveo condita mela cado? Omen, ait, causa est ut res sapor ille sequatur.

DE MUSICA

Quid inter auditum et musicam.

Aurium sensus, qui hominum conversationi inservit, homini necessarius profecto est atque suffectui difficillimus; imo et cum humanae vitae ratione, eruditione et progressu arctioribus nodis colligatur.

Mundi namque res, quae nos circum versantur, aurium virtute directe percipimus, sonitus undas, quae e vibranti corpore manant, animo recipientes.

Dulcis sonitus puram voluptatem gignit, etsi quisque eo vehementius ipsam percipiat quo aurium acie exquisitiore fruatur, paratioremque spiritum habeat et variis motibus magis promptum; omnes tamen longe diutius ferre quam ceterorum sensuum eius oblectamenta possumus.

Hac autem virtute efficitur ut voluptatum huius sensus copias quam maximas haurire absque labore vel detrimento valetudinis nobis liceat, quod longe aliter in ceteris sensibus assolet. Sic Heghelium admonentem audimus auribus nos musicae vibrantes concordias capere, atque intimum corporum fremitum ad animum iis tantum transmitti posse; sonus quippe externus accidens est, quo transmissio, interna forma exsurgit. Visibile enim medium ipse derelinquit atque externam tibi arum vel cithararum figuram; animus vibrantem undam carpit, in ea immediate et unice delectatur, ea commovetur funditus, et ad opera, ad agenda quaevis potenter incitatur.

Vim et movendi chordam, ut ita dicam, canticis et musicae tributam, omni aetate homines persenserunt, neque vates ferme, neque philosophi, aut naturae studiosissimi viri, ullo alio verbo mundi magnitudinem, ordinem, pulchritudinem sese exprimere posse censuerunt, quam quum dicerent *harmoniam*.

spiscati sunt illud: *ianitor Iane es*, probabili sensu, quum Ovidius quoque Ianu plus semel ut ianitorem aulae caelestis laudet, perspicientem «*eoas partes hesperiasque simul*».

Alii dividentes *Ian-Cusianes* de *Iano Curiano*, i. e. *Quirino* cogitarunt ¹ proferentes Macrobi locum (49, 14), ubi M. Messalla augur inducitur, affirmans in sacris Romanos invocasse Ianu Geminu, Ianu patrem, Ianu Iunonium, Ianu Consvium, *Ianu Quirinu*, Ianu Patulciu et Clusivium. Cecius noster hic, contra omnes, Clusii ipsius mentionem expiscatus est; ut ad summam concludere liceat, nihil certae interpretationis in medio proferri posse.

De verbis insequentibus: *duonus cerus es dun Ianus*, iam diximus, magis perspicua videri; fere ab omnibus intelligitur: *bonus creator es, bonus Ianus*.

Restant ultima verba: *Vevet pommelios eum recum*. Iam exposuimus quod nonnulli excogitarunt: *po* idem esse ac *potissimum*; *meliosum recum* esse: *meliorum regum*, genitivo casu multitudinis.

At alii aliter. Festus p. 205 M (=244 T. DE P.) ait: *Promerion praecipuum, praelter ceteros meritum, aut pro medium* (?) *h. e. participat* (?), *aut pro indiviso dicimus*. Zanderus in rem suam derivat, legitque: *Veveis promerios*, i. e. vivis (optime) promeritus; *prome dies enum reconde*, i. e. *prome dies et reconde*.

Sed hactenus de fragmentis versuum Ianulorum; fortasse etiam nimii fuimus in huiusmodi aenigmate. Gradum faciamus ad alia Saliariorum Carminum fragmenta.

(Ad proximum numerum).

FELIX RAMORINUS.

¹ Festus p. 297 M (420 TEWZEWK de Ponor) ait, post mortem Curiatorum et postquam Horatius superstes sororem suam occidisset, aras Iunoni Sororiae et *Iano Curatio* consecratas esse.

Aves ver novum cantantes, foliarum fremitus, rivuli murmur, procellae fragor, fulguris strepitus, belluarum ululatus forte primi sonitus fuerunt, quibus homo abditam naturae vocem persensit, quaeque est imitatus, quum, rudi adhuc lingua usus, internis animi motibus patefaciendis studeat.

Cantus enim quasi sermo animae altissimus habendus est, quo toties intimos sensus exprimimus, quoties adeo vehementes illos erumpere sentimus, ut nulla iam verba ad ea exprimenda satis videantur. Hoc servari etiam ab inferioribus animantibus conspicimus, quae necopinatis eventibus perculsa, rei sensus voce plus vel minus grata eliciunt.

Homines nos gaudia maxima pariterque dolores cantu effundimus: ipso in gemitu mensura quaedam intima inest, ita ut a veritate longe absonum illud non sit putandum, quod de Pergolesio, symphonico Italo illo, tradunt, *Stabat Mater* hymni musicae notas ex acerbis matris cuiusdam singultibus, ad nati patibulum, ipsum deprompsisse.

Quae quidem iam antiquitus maiores animadverterunt. Orpheum enim lyra canentem commentati sunt tartarea regna transiisse incolumen et trigemini canis placasse latratus; Ariorem delphinos cithara ludentem post sese traxisse; Amphionem Thebana excitasse moenia, quorum saxa dulcissimo cantu permota ad suum quaeque locum sponte congererentur; et Sirenium blandenti voce peremptos nautas, et Saul regis iras David ludentem lyra sedasse; Timotheum tibia canentem Alexandrum ad bella movisse vel ad pacem flexisse; et Cleopatrae navem remigiis actam, quorum impulsu tibia et cithara et avena suo rhythmo moderarentur. Aegyptii sic Graecique, musicae sonitus cum religione sociantes, hanc consuetudinem Romanis tradiderunt. Christiani deinde cantu et psalmis barbarorum animos per-

mulcere coeperunt, et byzantinis hymnis factum esse tradunt, ut primi Slavoniae populi ad Christum converterentur. Philippus, Hiberiae rex nomine quintus, tunc tantum curis liberari dicebatur, quum Farinellium musicum dulcia canentem audiret. Donizettium animam agentem Robinius unus expergefacerere postremo potuit, *Luciae*, musici operis ab auctore illo exarati, melodem quamdam, apud cum canens. Mozart pariter morti proximus filiam observavit ut cantiumculam diceret, quam potissime adamaverat.

Sed et neces, et crimina, et dolores innumeros cantus et harmonia quoque praepedierunt.

Musica enim et cantus constanter et similiter animum semper afficiunt, quoties percipiendi sensus exquisita homines facultate praediti sunt, unde gaudium vel tristitia, virtus vel metus, fiducia vel depressio, alacritas vel inertia in audientibus pariter gignuntur. Quare artis huius magistri musicam veluti puram sensuum expressionem concordantes affirmant. Neque eadem ars medicorum oculos effugit, qui sedulam in eius studio operam dederunt, multaque reperiunt, de quibus alias, si placuerit, dicemus, eos praecipue considerantes effectus, quos in hodierna hominum societate musica provocare valeat, atque in singulis hominibus.

R. S.

DE ANNIS SANCTIS¹

Annus sanctus decimus quartus.

Innocentius X indixit hunc annum sanctum, celebravit et clausit, eo potissimum nomine insignem, quod multi haeretici, Hebraei, et nonnulli ex ipsa Macumeti perfidia, errores suos aspernati, ad rectam Christianorum sapientiam redierint.

¹ Cfr. fasc. sup.

Et mirum in modum Pontifex Dei amorem et religionis studium cum perpetua in peregrinos liberalitate coniunxit. Cuius exemplum sequuti Cardinales, nobiles et cives complures, facile eo pervenerunt, quo commodius atque abundantius, admirantibus omnibus, peregrini hospitio recrearentur.

Complures ex nobili loco nati huic anno interfuerunt, et peregrinorum numerus is fuit, ut Pontifex ne quis moerens ab Urbe proficisceretur, optimum factu putaverit, si pluries ex editiore Petriano porticu solemniter populo in magna platea incredibili laetitia gestienti omnia fausta a Domino precaretur.

Satis sit dicere, inter innumeros alios fuisse et ipsos Etruriae principes, Mirandulae et Norimbergae. Ad haec populus romanus summo quoque honore suscepit Margaritam cum Maria, Deo dicata, ex augusta Sabaudiae domo, quae, demissa franciscali veste induta, Romam pervenerant, atque in domo oblatarum sororum S. Francisciae Legiferae versatae, modice vivebant.

Annus sanctus quintus decimus.

Annum a Clemente X P. M. rite inchoatum ac profligatum, insignem admodum reddiderunt sollemnia quae identidem, adstantibus episcopis, iussu Pontificis in Urbe fiebant, ut aliquot Beatis, quos inter undeviginti Gorgomienses fuere, Christianae fidei martyres insignes prodigiis, splendidi honores decernerentur.

Si autem Pontifex, aetate iam adulta, hisce pietatis singulis ritibus interesse haud potuit, ut sui mox decessores consueverunt, proluxa utique largitate in peregrinos enituit, qui ad sanctissimae Trinitatis versabantur, eisque humiliter pedes lavit, aureumque nummum generose adtribuit.

Decies centena millia peregrinorum, hoc sancto anno labente, religiose Romam

petierunt, et, quod caput est, nonnulli a pravis opinionibus ad catholicam professionem fuerunt deducti; inter hospites Christina, Suetiae regina, et Badensium princeps inscripti sunt.

Annus sanctus decimus sextus.

Quoniam hic annus sanctus pulchre cum anno saeculari componeretur, Innocentius XII, tum Pontifex Maximus, optimum factu reputavit, maiore cultu et sollemnioribus ceremoniis esse celebrandum.

Verum, ob gravem aetatem et ipsius senectutis incommoda, publicis sollemnibus ipse non potuit interesse; ac propterea Emmanueli Theodosio De la Tour, Cardinali itemque suburbano Episcopo, procuratoris curam detulit. Sabbato vero ante diem dominicum, cui est nomen *in Albis*, ex aedibus Quirinalibus profectus, Pontifex, more supplicantium maximaque pompa, sancti Petri aedem invisit, atque e summo Pontificali porticu, inter festivum machinarum bellicarum fragorem aeneumque sacrorum templi sonitum, Urbi et Orbi est omnia fausta sollemniter adprecatus.

At quinto kal. Oct. Innocentius fato cessit, in cuius locum est Clemens XI rite evectus.

Quum autem ob magnam Tiberis exundationem, atque ingentem hominum multitudinem, nonnulli in flumen delapsi miserrimam ibi vitam finierint, Pontifex, ne quid in posterum mali accideret, complures navicularios, apud pontem ad omnium incolumitatem sapientissime disposuit. Memoratu digni, Romam inviserunt Cosimus III, Etruriae Princeps, et Maria Casimira, Ioannis III Pannoniae principis vidua.

Annus Sanctus decimus septimus.

Magnis equidem ritibus Iubilaeum hoc celebravit Benedictus PP. XIII anno millesimo septingentesimo vigesimo quinto; huic ampliorem cultum addidit

Concilium a Pontifice in Lateranensibus aedibus coactum; cui complures Episcopi Sanctae Sedi « immediate » subiecti, ex omnibus undique regionibus acciti, splendide interfuerunt. Incredibilis quoque fuit peregrinorum concursus, maior equidem factus ob praesentiam, praeter omnium opinionem, tercentorum circiter captivorum, qui, a « Missionariis » in libertatem e Saracenis vindicati, excalceati Basilicas solemniter perlustrarunt. In signum amoris gratique animis donavit eis Pontifex ingens anni sancti numisma.

Interfuit grandis Batavorum Elector, et dux Ursinius, filius fratris Pontificis.

Annus sanctus decimus octavus.

Ex iussu Benedicti XIV. P. M. duo ex duodecim viris litibus iudicandis, in vestibulo S. Petri, hunc annum sanctum ediderunt, quem Pontifex Max. maximo quidem apparatu celebrandum curavit. Memoratu dignissimum, quod universus Franciscalium Sodalium conventus, cui ipse Pontifex interesse voluit, et in quo Pater Molina, Summus Ordinis Magister eodem tempore est renunciatus, compositis rite supplicantium agminibus, singulis utique per provinciam distinctis, mira Romanorum advenarumque laetitia, processerit. Ut tute ipse mente adstantium multitudinem assequaris, satis sit dicere parum obfuisse, ne pater Leonardus a Portu Mauritio, cuius nomen omnium iam sermone percrecebat, pene suffocaretur, nisi praesentia auxilio milites adfuissent, qui eum a mortis periculo eriperent.

Complura admodum peregrinorum agmina fuerunt, de quibus quatuor millia quotidie Sanctissimae Trinitatis Sodalitium hospitio recepit.

Inter celebriora peregrinantium agmina enituit Vindobonae civitatis conventus, cui obvia fuit vel extra moenia Sanctae Mariae sodalitas; et Spoleti, quem

ipse Episcopus duxit, poenitentium habitu indutus atque excalceatus.

Huic Iubilaeo interfuit Wilelmus Cavan, Antillarum patricius, qui nomine suo ac suorum Pontificem est veneratus; et princeps Esterazi, e Germanorum stirpe prognatus, cum uxore.

Annus sanctus undevicesimus.

Clemens XIV indixit equidem annum sanctum in millesimum septingentesimum quintum et septuagesimum, sed repentino morbo correptus, Pio VI, successoris suo, absolvendum reliquit. Qui, etsi iam eae res in Europa agitentur, quae omnium ferme imperiorum quietem perturbarent, attamen, novo quodam caeremoniarum splendore, hunc annum illustravit, et maiorem in dies ad Urbem populorum numerum accivit. Inter multa egregia facinoraulaude in primis hoc dignum fuit, Pontificem, equae candidae ex antiquo more insidentem, Lateranum templum adivisse, amplissimam illam honoris sui sedem, et per Portam Sanctam ingredi sollemniter voluisse.

Quo vero facilius omnes peregrini universam admissorum veniam assequerentur, praeter omnium consuetudinem, proposuit, ut eadem gratia perfruerentur qui modo templum Sanctae Mariae super Minerva inviserent.

Immensus admodum fuit etiam hoc anno vertente peregrinorum numerus; et ipsa modo Sanctissimae Trinitatis Sodalitas, intra dies tres centum et triginta millia peregrinorum et amplius hospitio recepit.

Romae interfuerunt inter ceteros duo Germani Imperii Electores, Regis Angliae frater, filiusque fratris Borussiae regis.

(Ad proximum numerum).

IUNIOR.

Discipulus est prioris posterior dies.
Cui plus licet quam par est, plus vult quam licet.
P. SYRIUS.

IN FESTO BEATI PETRI

DE ROMANIS PONTIFICIBUS

(Ex scriptis MAURI RICCI).¹

Romuleum periit robur, ceciditque super-

[bum

Troiugenum genus, Ausoniae quo pingua

[cultu

Ingentes dederant ferro vastata ruinas,

Turbine bellorum postquam est dominarier

[ausum,

Horrisono ac tellus tremuit convulsa tumultu.

Iam loca tuta silent, nec fraena ad proelia

[mandit

Hinnitu bellator equus ruiturus in hostes,

Quos acuit clamorque virum, clangorque tu-

[barum.

Pulcra magis visu placida sub pace quiescens

Salve, Roma potens, sanctis decorata trium-

[phis,

Quos non ulla valet tenebris abolere vetustas.

Laetior assurgens mons Vaticanus ad auras

Haud gladios praefert, fratrumve horrenda

[cruore

Arma, sed imbelles claves gemmamque po-

[tentem;

Excelsique sedent candenti veste decori

Pontifices, tria gestantes in vertice regna,

Quique effata, prius nullis audita, recludunt.

Cedite, quaeso, locis animaeque umbraeque

[virorum,

Quorum fallaces spirant fallacia musae;

Nam nova percipient dociles praesagia gentes,

Ac discent quae verba sonent, quae deinde se-

[quantur

Fortia fucta, aevi longos memoranda per annos.

Namque acies contra, minitantis et ora ty-

[ranni,

Impavidi sistunt: magno sit gloria Petro

Efflavisse animam atrocis non ense Catonis,

Cum libertati nescit superesse latinae;

Sed crux hunc tollat, pro religionis amore.

Discite, Pontificum proles oritura magistro,

Qui maneant casus, et quae sint dura ferenda.

Nam saepe heu! vestro turgescunt sanguine

[rivi,

O Patrum spectanda manus! perculsa securi

Ecce rubet cervix aliis, aliosque repente

Dentibus infrendens, laqueis vix bellua fractis,

Dilacerat, sanctosque trahit crudeliter artus.

Horrida nec miseri stultae spectacula plebi

Aut gemitus edunt, neu poenas voce repo-

[scunt.

Cur laudatur adhuc absorptus Curtius igne,

Dum strident vomitae, saliuntque voragine

[flammae?

Scaevola cur vivit, palmam quod gesserit

[ustam,

Extollitque virum numeris aeterna poësis?

Mendaces vatium linguae! ipse haec maxima

[dicam,

Vatibus ipse minor totum vivenda per aevum,

Carpere nec patiar tantas obliviae laudes.

Sed tacuere minae, caedis stetit impetus:

[altum

Altius assurgat carmen. Trepidantque, ruunt-

[que

Imperii reges, qui sub diademate tutum

Erexere caput, contraque steterunt Tonantem.

Scande gradu devicta, Pater, Capitolia; venit

Tempus, quo sanctis societur clavibus ensis,

Et sacra quo dominae Fidei iam pompa ni-

[tescat.

Certatim populi, defluxo et poplite reges

Te nomenque tuum venerentur, et osculo fi-

[gant:

Indutique stolis stent centum utrimque mi-

[nistri,

¹ Cfr. fasc. huius anni I, pag. 10.

Centum habeant claves reserantes oppida et
[urbes,
Per mare, per terras, rapide ceu fulgurat ignis.
Tu caelos terrasque vocans rex atque sacerdos
Haud falso Omnipotens cunctis orabere votis.
Tu pauper, nitido at frontem circumdatus auro;
Tu famulus, tamen immensus tibi serviet orbis;
Tu verbi panem frangens sermone pedestri;
Sed tua mens aquilae tanget sublimia pennis.
Iam vatem, Hildebrande, rapis quo Tuscia
[gestit,
Aerea vis animi, flammās iaculata Chimaera,
Crimina cum terras, mores pellisque pudendus;
Fulmina cumque irae vibras, quibus exul,
[inermis
Deicitur solio foedatus caede tyrannus;
Perque Alpes, rapida resonantes ungula equo-
[rum,
Advolat, ut precibus maledicta minasque re-
[tundat.
Tollat io plaudens, iterumque iterumque Sa-
[cerdos
Clamet io; vicit, domuitque potentia Petri.
Surgere iam video fortissima pectora Iuli,
Qui spumantis equi tundit calcaribus armos,
Proelia sancta gerens, iuris defensor honestus,
Vel sedeat iudex, pugnans vel currat ad arma.
At si compositae conquirant otia gentes,
Tum Michaël, divus mage quam mortalis, in
[Urbe

Marmore vel tabulis pinget miracula visu,
Quae praesens aetas memoret, venturaque
[poscat.
Iamque viam celerans tu dein fastigia scandes,
Albo vectus equo, phaleris fraenisque decoro,
Nomine dicte Leo, ingenio sed mitior agno,
Qui decus artificum, quibus Italia gaudet
[alumnis
Ora, feres verbis opibusque ad sidera caeli.
Tu, Raphaël, silvas patriaeque cubilia lin-
[quens,
Cum Christus, facie conversa, in culmine
[montis,
Et nive candidior, mulcenti et lenior aura
Splenduit, in tabulis referes, altissime quotquot
Spectandas ponent unquam, aut posuere fi-
[guras.
Quis tamen omnigenas breviter complectier
[ausit
Sideribusque pares, et quas agit Eurus arenis,
Pontificum laudes? noscant teneantque ne-
[potes,
Non, volvente die, lapsas, sed clarius auctas,
Usque revicturas; robur dabit ipsa ruina...
Nam prius errabunt converso flumina cursu
Quam Stygii valeant ictus confringere summae
Stantia tecta domus, circum quae mille ge-
[rentes
Igneā tela manu, Christo ductore, catervae
Alternos agitant clypeos et proelia clangunt!

EX ITALIS URBIBUS

De Coenobio, cui est nomen
 « La Sacra di S. Michele »

In valle Segusina, et super monte *Pi-ricchiano*, ad quintum decimum circiter lapidem ab Augusta Taurinorum, est memorabile ac vetustissimum monumentum, vulgo dictum; *La Sacra di S. Michele*.

Omnes qui ex Alpibus Cotiis peregre Italiam ingrediuntur, grandem hanc molem admirantur, et suavem quandam pe-

ctoris voluptatem subito accipiunt, mente forte volventes quae multa de illa ex historiis resumuntur. Nihil equidem est pulcrius, nihilque amabilius quam hoc primum Italiae propugnaculum salutare, et per ubertissimam latissimamque vallem ad Italicas pulcritudines accedere.

Hic etiam locus nos monet, saepe saepius Italicae libertatis osiores supremam vindictam invenisse, et claustrum exstitisse ad conatus hostium repellendos, qui nostris rebus adlecti, hanc sibi viam aperire studebant.

Attamen, per viam paucis cognitam Carolus Magnus ex improvise in Longobardos adgressus, insignem illam victoriam retulit, ob quam brevi universae Italiae ditionis est postea potitus.

In tutissimo hoc loco, nunc ad religionem unice dicato, est Coenobium Sancto Michaëli sacrum. Pauca admodum de eius origine ad nos pervenerunt testimonia. Memoria tamen proditum est, labente saeculo decimo, Hugonem quemdam natione gallum domoque patritia, redeuntem ex Urbe, ad sua admissa expianda id fecisse, ubi iam adiuncta exstabant.

At quum ab initio, opportunitatis causa et loci amoenitate, in monte e regione aedificari coeptum esset,¹ noctu, Angelorum ministerio, uti proditum est, omnis in alterum montem materies ferri iterum videbatur. Quamobrem, divina sic voluntate, illic demum Sacrarium aedificari iussit.

Et divina veluti virgula excitatum, brevi admodum tempore, universum opus perficitur. Nec quum esset Deo dicandum, Angelorum praesentia denique defuit. Ipsi enim, uti fama perhibetur, Amisoni, tunc temporis Taurinensium Episcopo, qui in eo erat ut ad montem pergeret, divinitus adparentes, monuerunt templum per Angelos iam sacratum fuisse. Re enim vera, per noctem superiorem, multis corruscantibus signis, inter suavissimos caelestium cantus templum dicatum est.

Nec mirum sane, si tot magnarum rerum miraculis rite adprobatis, Sylvester II Pontifex Maximus permotus, pluribus illud in dies sacris privilegiis decoravit. Namque virtute hominum ac nomine percrebescens diu multumque floruit, et quamvis perpetua bella regiones proximas dilacerarent, ac piorum religionem turbarent, et anno millesimo ducentesimo

flammis absumeretur, tenaci tamen principum voluntate populique inconcussa firmitate in pristinum est denuo redactum.

At labentibus annis, suffragante Gregorio XV, ob difficiliora tempora atque exiguum religiosorum numerum, ne loci devotio omnino deficeret, Coenobii cura Canonicis *Iaveni*, qui vicus est haud ita longe positus, fuit permissa.

Locus autem conspicuus, caeli aërisque salubritas, totque rerum memoria illustris et luculenter a gravibus historicis ac pictoribus decoratus, hodie etiam curiositate quadam animique suavitate frequenter ab incolis atque advenis invisitur.

Anno saeculi elapsi quadragesimo, adnitente potissimum Carolo Alberto, Subalpinorum rege, ad Coenobii curam fuerunt acciti viri religiosi, qui Antonium Rosmini patrem legiferum sequuntur; ea modo fiducia, ut tanti viri fama atque industria, Coenobium illud ad antiquum splendorem aliquando revocaretur.

Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas!

Sed multum frustra adlaboraverunt, et in aedibus illis, quas centum et amplius religiosi olim colebant, nunc unus et alter ad templi cultum remanet.

Est tamen semper frequentissimus beatorum hominum conventus. Illuc enim, adpetente aestate, usque ad autumnum, multi ex Augusta Taurinorum, summo mane, relictis negotiis, adveniunt, et

*Largior hic campos aether et lumine vestit
 Purpureo solemque suum sua sidera norunt.*

Qualis est autem ex illo monte rerum adstantium adspectus! Quae innumera hominum clarissimorum memoria, qui hosce locos scriptis decorarunt! Hinc quoque universus rapidusque Duriae Ripariae fluminis cursus cernitur, et innumerae opificum officinae, vi aquarum actae prosperitatem adferunt atque incolarum divitias augent. Utinam ipsi humanarum rerum instabilitatem noverint, ac tempore felici

¹ Hic mons vulgo appellatur a tunicato popello *Musiné*.

nimis ingenio non indulgentes, parsimoniae aliquantis per inserviant, ut ita temporum difficultatibus facile suo aere consulant!

Ex prospicientibus parvulus etiam vicus adparet *Chiusa*, qui valli nomen dedit, et gloria antiquitatis viget, summoque in honore vigescit! Illic enim Italiae hostes complures duriter occubuerunt, quum Adelaïs, Segusii marchionissa, nupsit Oddoni vallis Maurianae comiti. Quo facto Allobrogici principes Italiae claustra sibi primum aperuerunt.

Haud abs re erit fortasse et in medium proferre quod apud nos ore omnium pervulgatur, et omnes vel acerrimi iudicii scriptores narrant, et inter advenas multis sermonibus adseritur. Et ipse Caesar Balbus, gravissimus ille vir, qui Italicarum historiarum et memoriae patrum acerrimus adsertor fuit, hanc rem ceteroquin levissimam referre haud dubitavit.

Apud S. Michaëlis coenobium est praecipuus quidam locus, cui est nomen italico sermone: *Il salto della Bell'Alda*. Dicitur enim pulcherrima quaedam virgo, cui erat nomen *Alda*, quadam die, ut pravorum hominum insidias effugeret, qui eius virtutem minis tentabant, quum nullum iam ei esset remedium, Beatae Virginis patrocinio innixa, sese ex illo monte praecipitem dedisse. Divinitus ita elapsa ex iniquorum manibus, incolumis humi pervenit. Quo facto virgo illa per omnium ora gloriose volitabat. Verum quum brevi quidam rem in dubium revocarent, imo in calumniam verterent, virgo Alda levitatis gloriola abrepta, eandem rem tentare non abhorruit. At, miserum in modum, vanitate sua punita, in diversas est partes discerpta. Sic vitam pulcherrima Alda finivit.

Hactenus S. Michaëlis coenobium, quamquam vetustate et squallore deformatum, duravit: utinam aliquando novis accessionibus in priscum splendorem restitueretur!

SENIOR.

EPISTOLARE SOCIORUM COMMERCIIUM

De novis vocabulis in latinum sermonem inducendis.

ANDREAS AVENARIUS S. V. D., EMMA-NUELI JOVÉ sal.

Mirifice delectatus litteris, quas pridie nonas Apriles per Italiam dederas, et fraterno, quo scriptae erant animo, propinquis iam kalendis Iuniis properaveram respondere. Miratus eris, quid acciderit carmini Fontii, familiaris nostri. Recte pervenit in manus meas, non minus, quam ea, quam ante ad me miseram cartula. Quibus ego significationibus amicitiae statim respondens propriam epistolam publice Vicum miseram. Sed quid factum est? Aliquanto post redhibetur signata «Vici Barcellonae vii kal. Apriles» ornataque verbo Gallico, non minus sicco, quam tristi: *Inconnu*. Ergo saltem signum postale domicilii tui obtinui!... Sunt etiam ad manum illae litterae, quae, simulatque aliquis docuerit, quid accuratius in earum scribendum sit involucro, iterum Pyrenaeum saltum transibunt.

Iam breviter de novis agamus vocabulis. Quattuor, solvens debitum, obtulisti Germanica in *um* exeuntia.

Quae quum vidissem, frustra reprimebam risum. An non dixeram in superiore epistola multa vocabula exera in ore esse Germanis? Quibus iam saepe indictum bellum est, sed nunquam acrius, quam post «ardorem mundi», h. e. post bellum gentium. Ex eo genere sunt ista, quae exhibuisti, omnia: *centrum* est vox Graeca, «studium» Latine dicimus; *gymnasium* Graece; *harmonium* Graece. Acriuscule cogitanti una occurrit vox, quae huc attineat: *sammelsurium*, quae significat acervum rerum variarum male compositum: est fere illa Ovidii *rudis indigestaque moles*. Sed hoc ipsum nomen, propterea quod

exit in *ium*, iocose quiddam sonat nostris auribus externum. Sed relinquamus ista, ut veniamus ad alia vocabula.

Quod quaedam tibi probantur a me proposita, valde gaudeo. Explicato abs te *radiaculo* plaudo. *Pelliculationem* tamen fateor mihi videri inventam audacius. Sed si iusseris dare me melius, me fatebor nescire. De *re* igitur *pellicularia* etiam in posterum cogitabimus. Et utinam aliquando aliqui sententiam aperiant suam ex illis, qui, quae nos duo scripsimus, nobiscum ex ALMA ROMA legunt. Nam tritum illud: *Quot capita, tot sententiae*, etsi plerumque interiectio desperationis est; tamen etiam interdum varietas sententiarum esse poterit, bonarum, quibus in optima quaeque aperiatur via.

Iam novarum turbam vocularum offendam oculis tuis, tui iudicii cognoscendi causa, quae partim interrogatus, partim mecum ipse loquens exprmopsi.

Interrogatus, qui extinguerent exorta incendia, respondi: *Incendiales*; quid esset *relais* in re vehicularia «permutationem equorum»; in *telegraphia*, «supplementum, augmentum, additamentum, auxesin».

Turbinam, «turbinem» dixi; aream, ex qua aëronautae ascendunt, Gallicam vocem imitatus, *aërodromum*, quum esset etiam «hippodromus».

Dentistae nominantur, qui reficiunt dentes hominibus, et impenso saepe reficiunt pretio. Hos Fornarius *odontoiatras* Graece appellavit in quibusdam ad me litteris. Sed, si pontifices dicimus, opifices, aurifices, carnifices, cur non item mihi liceat «dentificem» dicere et «dentificinam», et «artem dentificiam?».

Loquor nuper cum quibusdam discipulis meis latine, et quidem de operibus matutinis post lectum faciendis. Dicunt quosdam cubantes tegi operimentis laneis, alios saccis plumis refertis; quid ego non appellarem eiusmodi operimenta: «tegu-

menta plumaria?» Sed in eodem sermone haerebam, quum ventum esset ad «camisiolam». Sic enim ego appellare institui illum pannum nigro colore, quo discipulis nostris pars collaris albi et pectoris tegitur, quem pannum nos *Vorhemd* vel *Kollar* vocitamus, quem is, qui domi nostrae praeest linguae Gallicae, Gallice *chemi-sette* appellari respondet.

Tacebo quum unum adiunxero. Diu et multum stando pedes adeo sunt depressi mei, ut opus sit fulcris. Usus igitur eram fulcris metallicis, quum nuper mihi commendatur *Pneumette*. Venit Monachii, et est solea ex corio facta, assuto vel agglutinato apte gummeo pulvillo, qui parvula antlia pneumatica sufflari potest, molliter ut quiescat in calceo pes. Ea igitur res, ut significatur aliquo vocabulo Latine: «solea sufflabilis» vel «solea pneumatica» a me coepta est appellari.

Habes in praesentia, quae rideas et iudices, iudicia mecum ut communices. Et Fontium meis verbis iube salvere.

vi Kalendas Iunias.

PRO IUNIORIBUS

Parvum antibarbarum.¹

Obedientia - Obsequium; Obtemperatio.²

Obfuscare - Infuscare.

Obire mortem (morte) - Perire; Mortem oppetere.

Obiter - In via; In itinere. - Leviter (Breviter) tangere, etc.

¹ Cfr. fasc. sup.

² *In vim sanctae obedientiae*: Sanctiore pro imperio (potestate).

Obligatum esse (alicui de aliqua re) - Acceptum cuiuspiam referre; Aliquid summi beneficii loco ponere (numerare).¹

Oblivioni tradere - Oblivione aliquid extinguere; Memoriam rei alicuius deponere; Oblivioni dare; Oblivione sempiterna delere.

Obnix (rogare) - Enixe rogare; Obsecrare; Omnibus precibus orare (petere).

Obsidium - Obsidio.

Obstaculum - Impedimentum; Difficultas; Mora.

Obtenebrare - Obscurare; Tenebras obducere.

Occidere se - Cfr. *Interficere*.

Occupatum esse - Negotiis distineri (distringi); Impediri; (premi) aliqua re; In negotiis (Multis operibus) implicari - Otium non esse alicui.

Occurrere (apud ...) - Esse; Legi; Inveniri.²

Octava (festi alicuius) - Octava ab festo dies; Festi octavus dies; Sollemnia octavi diei.

Octavarium - Supplicatio dierum octo (in octavum diem).

Octodecim; Octavus decimus - Duodeviginti; Duodevicesimus.

Ocularis testis (fui) - Hoc oculis meis (ipse) vidi.

Odorosus - Bene olens; Odoratus.

Oeconomus - Dispensator; Curator sumptibus coercendis.

Officiositas - Officium.³

Omnes usque ad unum - Ad unum omnes.

Omni ex parte - Usquequaque.

Omnigenus - Omnis generis; In omni genere.

¹ Itaque: Ita credam, tulisse me tantam gratiam, quanta potest esse maxima; Me addictum (deditum; adstrictum) tibi in perpetuum habebis; Id si feceris, magnam a me inibis gratiam, etc.

² Ex. gr.: Hoc vocabulum apud Ciceronem non est, etc. - Bene vero: Aliquid occurrit; Occurrit in mentem (animo).

³ Sed optime « officiosus ».

Omnimode; Omnimodis - Omni modo (ratione); Omnibus modis.

Omnipotentia - Magnitudo potestatis infinita; Immensa (Omnium rerum) potestas.

Opinionem (bonam sive malam) habere de aliquo - Bene sive Male sentire (existimare) de aliquo.

Opus habere aliqua re - Alicui opus esse aliqua re.

Ora (libri) - Margo.

Oratorium - Sacrarium; Asceterium. - Sodalitas.¹

Ordinare (aliquem sacerdotem) - Aliquem sacerdotem consecrare; Aliquem sacris ordinibus initiari (inaugurare); Aliquem Deo ministrum dedicare (mancipare; vindicare).²

(Ad proximum numerum).

I. F.

¹ Ex. gr. « Sodalitas Philippiana », nempe a S. Philippo Nerio *Oratorii* nomine condita.

² *Ordinare aliquem subdiaconum* - *diaconum*: Sacris epistolis - Sacris evangeliiis aliquem initiare.

ANNALES

Minorum Europearum nationum conventus.

Bucarestinum primis superioris Maii mensis diebus, minorum Europaeorum nationum legati convenerunt, ut de rebus quae ipsas maxime attingerent, simul disceptarent. Postquam amicitiam suam cum Polonia et Graecia confirmarunt, Bulgariae commune auxilium promiserunt, quum constiterit Bolscevicorum periculum gravius illic imminere; Hungariam monuerunt ne ultra ad amissas provincias recuperandas niteretur, Austriamque ne ad imperium unum cum Germania coniungendum intenderet; denique tutelae ac

praesidii pactionem expenderunt, quam Genevae, apud nationum societatem, proponere eorum in animo est.

* *

A novo Germanicae reipublicae praeside imperium assumptum.

Berolini, Hindeburg, Germanicae reipublicae praesidi renunciato, summa imperii tradita sollemniter est, isque fidem suam novae civitatis constitutioni iuravit, administrosque omnes in suis muneribus confirmavit; quod quidem tutum indicium apparuit, posse omnes anxietates ab eius electione exortas, nunc saltem iure sedari. Certè tum Galliae, tum Angliae ingratum cessit a peritis cognoscere hoc anno Germaniae ultra dimidium summae, ad belli expensas sarcindas ei adtributae, solve, civitati illi impossibile revera esse futurum.

* *

Mauritanae procursationes.

Gallos interim curarum taedet, quas Mauritanii recens attulerunt, ob improvisas in eos procursationes. Ex munitis locis obsessi Galli primum strenue restiterunt; deinde, ad offensionem versi, in turpem fugam rebelles verterunt. Hi tamen nondum ad quietem omnino rediere; ex quo Socialistarum pars, gubernio infensa, nomen sumpsit ut ei acriter obstaret; sed probabile est administratorum collegium animum aliorum omnium popularium legatorum pariterque et senatus sibi conciliaturum, eo magis quod aperte declaraverit, Vaticanam legationem, ex cuius abrogatione tot discordiae exarserant, a se iri servatum.

* *

Sinensium motus.

Ex Sinis necopinato nunciant motus illos in exteros cives esse resumptos, ex quibus tot caedes et bellum, aliquot abhinc

annis, orta sunt. Sperandum est fore ut huiusmodi nuncii amplificati ad nos usque pervenerint; aut saltem, ut opportuna rationes adhibeantur, quibus facile luctuosi illi tumultus ex initio omnino suffocentur.

* *

Ex aedibus Vaticanis.

Magno cum peregrinorum concursu, maximaque tum civium tum advenarum pietate Romae iubilaei volvitur annus, qui his diebus sollemnia maxima attigit. In aedibus enim Vaticanis, immensa coram multitudine, Pontifex Maximus in Sanctorum album retulit Mariam Franciscam Theresiam Martin, puellam illam ex sanctimonialium Karmelitarum familia, sororis Theresiae a Iesu infante nomine cognitam et apud gentes omnes per orbem celebratam; Petrum Canisium e Societate Iesu, Magdalenam Sophiam Barat, Magdalenam Postel, Ioannem Eudes et Ioannem Baptistam Vianney, parochum vici *Ars* in Gallia. Ab hisce sollemnibus occasione arrepta, amplissimum, plaudentibus omnibus, renovatum est spectaculum, quod quinque supra quinquaginta ab annis vehementer desiderabatur, illustratio nempe Vaticanae basilicae frontis ac tholi, albis laternis primum, ac deinde, momento temporis, admirabili visu, additis facibus.

Kalendis Iuniis MCMXXV.

POPULICOLA.

ROMA SACRA

Petrus Canisius e S. I. inter Romanae Ecclesiae doctores relatus.

Uno eodemque tempore, quo, die xxi mens. Maii MCMXXV, Pius XI P. M., in Vaticana basilica, Petrum Canisium, sacerdotem e Societate Iesu, ad suprema

Sanctorum fastigia evexit, eundem inter Romanae Ecclesiae Doctorum numerum accensebat, sollemnia verba effatus, quae operae pretium est integre in nostris paginis referre:

Ecclesiam sanctam Christus Dominus quum, suae promissionis memor, opportuno nunquam adiumento destituit, tum calamitosissima quoque tempestate summos sanctitatis laude viros excitare consuevit, qui *potentes in opere et sermone*, regnum suum in terris fortiter tueantur lateque proferant. Ita, maxime necessario rei christianae tempore, clarissimus ille fidei et defensor et apostolus exstitit, Petrus Canisius; in quo quidem apparuit, quam vere dicatur, novum Ecclesiae militanti per Ignatium Loyolaeum a Deo datum subsidium. Hic enim nascentis societatis Ignatianae eximius alumnus non uno nomine Iesu Christi Sponsae laboranti profuit. Profuit quidem omnium exemplo virtutem in quibus, a pueritia ad extremam usque senectutem, tam mirabili ascensione profecit, ut maximam aequalibus suis admirationem moveret. Profuit etiam litterarum scientia exquisitissimaque divinarum rerum doctrina, quam Scripturis sacris operibusque Patrum assidue pervolutandis alebat; quod autem quum plena theologiae positivae, quam vocant, cognitione Scholae sententiarum lumina coniungeret, non est cur miremur, eundem, ad oppugnandos immanes haeticorum errores, armatissimum sane militem in aciem descendisse. Profuit denique susceptis toleratisque, quinquaginta fere annos, omni sibi quiete interdicta, laboribus; etenim, per eam temporis diuturnitatem, quemadmodum cleri disciplinam populique mores – eorum etiam animis, qui christianae societati praeessent, ad vigilantiae diligentiaeque studium exacuendis – restituere contendit, sic haeresi, et vitiis quae viam ad haeresim sternerent, adversari nunquam destitit.

Itaque sanctum hunc novensilem, qui – eo ipso anno in Geldria ortus, quo Ignatius in Hispania ad bonam se frugem perfectiusque

institutum recepit et nonnullarum Germaniae provinciarum ab Ecclesia Romana induci coepit discidium, – vetustae Batavorum gentis candidum tenacissimumque referebat ingenium, non tam Ignatii Patris propiorumque moderatorum, quam Summi Pontificis iussa ad id munus destinare, ad quod, prope sepulcrum Petrianum in hac ipsa templi maiestate orans, se, quasi alterum Bonifacium, divinitus vocari intellexerat. Quum autem probe nosset, nescire tarda molimina Spiritus Sancti gratiam, umbratilem carissimamque domus suae religiosae palaestram deserens, athletae instar in pulverem et solem prodeuntis, provinciam sibi delatam capessere, nulla interposita mora, properavit. Luctatorem sane animo promptissimum non difficultates sexcentae, non vitae discrimina, non inimicorum insidiae, non indignitates contumeliaeque, non itinerum incommoda, cum ieiuniis vigiliisque coniuncta, ab incepto deteruerunt; secum enim ipse reputabat, Apostolos Christi a conspectu concilii gaudentes abisse quoniam digni habiti erant qui pro nomine Iesu contumeliam paterentur, et omnes, qui pie voluissent vivere in Christo Iesu, persecutionem esse passuros. Populares igitur catholicos in fide confirmavit et haeticorum ad Ecclesiam reditum perseveranter adiuvit, sive alumnos sibi creditos docuit, sive in aedibus sacris cationatus est, sive cum novatoribus aut in athenaeis aut in publicis consessibus aut in foro, quotiescumque fidei morumque integritatis causa agebatur, disputavit invictus. Quod autem Canisium adversarii *canem* per ludibrium cognominabant, id profecto in eius laudem atque honorem cedit: etenim, quasi canis fidelis, eos omnes, qui dominicum gregem appeterent, non tam clamando quam repugnando disiecit. Ubi autem sibi adesse praesenti et alloquenti non licuit, illuc scripta sua pervenerunt, mirabilis ille praesertim Catechismus, qui, in omnes paene linguas conversus atque in totum terrarum orbem, inque eas regiones potissimum quibus extremum haeresis periculum immineret, invecus, ger-

manae catholicae doctrinae peperit victoriae iactitiam. Nec minus ad eiusdem doctrinae tuitionem contulerunt Canisii vel epistolae, in plura nunc volumina collectae, vel scripta in Centuriatores edita, quae, etsi, ob urgentiores causas, moderatorum iussu, intermissa sunt, incitamento tamen immortalis memoriae Cardinali Baronio fuere, ut in huius ipsius locum, suorum Annalium compositione, succederet. Alterius quidem post Bonifacium Germaniae apostoli praestantissima sane doctrinae copia ac gravitas, a decessore Nostro Leone XIII, per Encyclicas Litteras, ante annos septem et viginti, iis celebrata laudibus, quae vir eum decere viderentur cui Doctoris appellatio nondum decreta esset, Nobis omnino suasit, ut Canisium una eademque sententia et inter sanctos caelites et inter Ecclesiae Doctores adscriberemus, quemadmodum paulo ante fecimus et per Decretales Litteras mox conficiendas declaraturi item sumus: quod ut iniremus consilium, impulere praeterea postulatariae, quas vocant, epistolae, a compluribus episcopis, facultibus theologicis et studiorum Universitatibus ad Nos haud multo ante datae. Quum, ceteroqui, Sancti huius Doctoris novensilis actio et apostolatus ad gentes bene multas, ut ad Alsatiā et Helvetiam, ut ad Bohemiam et Poloniam, ut ad Austriam ad Hungariam et Italiam, pertinuerint, ubi etiam iuventuti instituendae, seminariis collegiisque conditis, mirifice prospexit, nonne videtur Deus ipse universis eum gentibus colendum imitandumque, veluti in signum unitatis et pacis, singulari quadam opportunitate, proponere?

Utinam nobis omnibus, triumphalem Redemptoris nostri reditum ad Patrem hodierno die recolentibus, auspiciato contingat, ut, sancti Petri Canisii vestigia persecuti, eiusdemque patrocinio subnixi, partem tandem aliquando in sempiterno aevo cum Christo habeamus, cui sit laus et honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

Dolor animi gravior est quam corporis.

P. SYRIUS.

VACUI TEMPORIS HORA

Memini quondam me, quum de machina illa plerumque electrīde vel aqua acta, qua homines et res ad summa aedium transferuntur, sermonem instituissem, eandem **scansorium** sive **adscensorium**, appellasse, a «scansione» et «adscensu» novo nomine novo invento deducto. Novum dixi inventum, at perperam; quae enim his diebus legi, iterum iterumque mihi confirmarunt nihil esse sub sole novi.

Aedepol! Archimedes iam anno ante Christum natum ccxxxvi huiusmodi ascensilem machinam construxisse dicitur, teste Vitruvio; neque cum celebri illo physices et matheseos magistro res periisse, si verum est, quod plures contendunt, Neronianas aedes tribus scansoriis instructas fuisse, et parvos pluteos in effusionibus Romanarum domorum repertos, ob lapides aliquot congruenter item dispositos, quasi ad verticalium ductorum fulcrum, per quos adscensoriis cellis transcurrere liceret, totidem pro iis idonea loca exhibere.

Neque satis; cuiusdam «sellae volatilis», a Gallo Velay anno mdcc fabricatae, notitia reperta est: sessibulum scilicet erat firma fune vinctum, quae trochleam transiens, ex altero capite aequo pondere libraretur. Addunt huiusmodi instrumentum nobilium atque divitum late tunc in usum cecidisse, donec, casu quodam iniquo, qui principi foeminae regis filiae contigit, idem, tamquam periculosum, est relictum.

Denique et in ipsis Napoleonis I litteris scansoriae cuiusdam machinae mentio fit.

Temeritatem meam ita professus, cavebo in posterum, ne sim pronus nimis ad novas res enunciandas.

* *

Et Anonymo alteri do locum, qui et me et Anonymum collegam suum et omnes qui in superiore fasciculo Ferrarii scriptum legerunt, monitos voluit, eundem auctorem longius latiusque et «moraliter» de **granadilla** scripsisse, in c. II lib. 2 *Florae*, uti sequitur:

«Ille diu a nostratis hortis omnibus hiulco florum ore suspiratus, ille e Peruanis ac Mexicanis longe determinatis finibus accersitus, poetarum ille canoro atque oratorum facundo plausu tandem exceptus, divini amoris manu vitalibus inscriptus doloribus, Granadillae flos, quem Indi *Maracotum* vocant, ut a mortalibus obitos pro Deo cruciatus in coronam transituros intelligamus; illud, inquam, florem ac suave miraculum quotidiano spectaculo prope iam voluit esse universis. Vix est, qui praetera miretur, poenas degenerasse in florem, fortiter tolerantibus adulantem; extima per ambitum folia in aculeos extenuari, spineae coronae memoria molliter compungentes; ream pro nobis innocentiam in foliis albescere; pertaesa saevi laniatus cruenta flagra in floridae voluptatis purpuream telam redordiendam filatim retexi, ac superinduci; saxo in germen emollito, columnam ex atrio crudelitatis ad piam in flore medio structuram excitandam transmigrare; columnae imminere globosum rudimentum spongiae quondam felle imbutae, deliciarum aviditatem detergentis; modo ternos, modo quaternos exstare confirmatos capitatis e flaminibus clavos, animis amabiliter configendis aptissimos; unam crucis effigiem desiderari, quod extremam saevitiam floribus indoles mitissima repraesentare non audet; folium in lanceam exacui, sed innocentem, quippe retusam in ipsius vulnerato pectore charitatis; suavem denique ac medicatum fructum ad cordis imaginem rotundari,

quum e divini vulneris flore vitalis fructus exstiterit, amantis Dei cor. Vix, inquam est, quem cura et cultura tangat floris plane admirabilis, in quo ipsi verant, ac rident acerbissimi dolores. Si quem tamen non piget, imo delectat, salutis a Deo acceptae infinitum beneficium in floreas notas suaviter contractum grata recordatione relegere, eodemque mortali animos immortaliter esse inscribendos, vel a floribus placet admoneri: si iuvat a funebri amoris flore salubrem saepe fructum colligere in cordis amabilem figuram, ut cordatissimos amantes faciat, conformatum; radicem ac folia, ne fallant indicia, praenoscito. Radix in luteum pallorem languida et geniculata inexturpabili foecunditate proserpit, sobolescit et fructificat: fictilibus vero claustris continere nescia per imum foramen in subiecti soli amplitudinem clandestino reptatu se penetrat: multiplici atque erratice gramineo lapsu latissime spatiat. Folia quasi trigona sambuci roseae, seu potius lupi salictarii profundo incisus tripartita, maiorem mediam laciniam porrigentia, quaternas aut senas uncias longa, minutim serrata, laevia, tenuia, imbecilla, aliquantulum venosa, diluto colore virentia, inferius et etiam dilutiora, graviter olentia, alternis disposita, ternos inter se digitos dissita, lentum utilemque caulem praevelant; qui, quum vires sine adminiculo standi non habeat, quicquid claviculis, veluti manibus, nanciscitur, avidè comprehendit, arduoque ascensu reptabundus et cameras ac pergulas operiens aestuantium Indorum hortenses caenas iucundissime inopacat. Nobis etiam cancellatim scansilem arundinem, sive virgeam structuram sequaci viriditate praetextens, Indicae regionis remotissimam umbram commodat. Atque hoc sane sapienter de more, congruenterque artifex natura ca-duco in flore ludit, ut qui divini Libera-

toris servile suspendium eligentis acerbissimos cruciatus opere singulari velut miseratus exprimeret, in crucis formam decussata statumina pensilis adamaret».

* *

Iamvero tempus est ut SUBALPINUS per Gallum suum moneat:

Deo sint actae gratiae quam maximae,
Suos in primis nutriat quod filios!
Brevis sequens fecit doctus apologus,
Eos corripiens perperam qui deviant.
Primas me Gallum fere in pullis autumant,
Incedo solus saepe quod in area,
Et altum quatio caput cum cristula,
Ut olim milites ferebant galeam.
Verum si comedo, posita superbia,
Nec me demitti in pulverem iam videor,
Nec ita solus ad inania deprimor;
Uno nam cibos oculo respicio,
Secundum gratulans adverto ad sidera.
Siti quum stimulus, ad fontem venio,
Humorem flectens dum labellis sorbeo,
Levo caput, dicens semper: Deo gratias!
Dei munus est! Ultra quod profiteor,
Et omni tempore libenter praedico,
Et praedicabo, princeps donec nominor
In amplo sponte regno gallinaceo!
Vos sed mortales, rerum qui primordia
Largius nostis, imis in radicibus,
Cur hic manetis? Ad excelsa tendite,
Fovete spiritus, ad Auctorem surgite,
Et mecum dicite gratias amplissimas
Ei qui cibum nobis dat quotidie.

* *

Iocosa.

Tuccio Paccius:

— An unquam cogitasti quid antiquus quivis Romanus diceret, si nostris hisce diebus resurgeret?

Tuccius — Quid diceret? Ineptias profecto, stomachoso illo suo sermone latino, quas ne intelligere quidem valeremus, vel usi vocabulario et grammaticae!

Tuccius Magistro ostendit nummum argenteum, quo pater, ob eius in studiis progressus, eum donavit.

Tum Magister:

— Eia! Profer cui naturae regno nummus iste addicatur.

— Diespiter! Regno italico!

* *

Aenigmata.

I.

Condecorare solet *pars prima* virilia menta;
Urbano strepitu *pars* procul *altera* abest.
Miscueris rite si partes has, peregrinus,
Moribus incultis, vir tibi conspicitur.

II.

Sum verbum? Raucam vocem designo ca-
[ninam.

Sum nomen? Fuge me ne spoliare bonis!

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) *Pugil-lar*; 2) *Lacus*, *Acus*.
IOSFOR.

Libera a pittaciis responsa.

Cl. v. DU... ZUA..., *Valdobbiadene*. — Fasciculi quem desideras nullum iamdiu exemplar habemus. Frustra speravi usque ad hodiernum diem ab aliquo socio eum recipere posse. Ex his intelliges quam praecipue causa humanissimis tuis litteris prius non responderim. Integrae an. MCMXXIII collectionis exemplaria aliquot supersunt.

Cl. v. EM... IO... *Vici*. — Ex hodiernis Avenarii litteris novum tibi est argumentum claudicantis istic publici cursus. Fasciculum Februarii mensis ad te iterum misi.

Cl. v. RAPH... PA..., *Neapoli*. — Porpuream?... Occiduo *velut* icta sole?... *Sicut* ingens, duo breviora... *Suave*?... Manus benedicet alba?...

CLERICIS GENUEN. E CONGR. S. — Suo tempore edemus.

Cl. v. I. G. MIELC..., *Chicagine*. — Per summam his diebus missam, de qua amplissimas tibi gratias habeo, rationes tuas exa-quasti ad integrum annum MCMXXIV.

MOROSIS SOCIIS, NEC HISDEM PAUCIS PER ORBEM. — Ecquando vestras nobiscum rationes exaequabitis?

A SECRETIS.

PANCRATIUS

[5

Actio dramatica FRANCISCI WIELAND – (Latine reddidit *Andr. Haberl*)

CORV. (*Postrema verba in scena remotiore audivit; nunc prodit, manu in Torquati posita humero*): Tune, Torquate, tam sero hîc ades? (*Clam*): Hic meus est!

TORQ. (*stupens*): Non te novi...

CORV. Corvinum non novisti scilicet.

TORQ. Corvinum? Praefecti filium?

CORV. Ipsum.

TORQ. (*timide*): Mitte me! haud mihi tempus est.

CORV. Non mittam, hercle. Manedum! Est quod tecum colloquar.

TORQ. Sero est!

CORV. (*circumspiciens*): Hoc, inquam, melius est.

TORQ. Verba fieri compendii volo.

CORV. Id tu videris, quantae rem morae feceris.

TORQ. Quin tu eam dudum eloqueris?

CORV. (*coniectis in Torquatum oculis*): Gratum audire fuerit, nisi forte unus ex Christianis sis.

TORQ. Quid te impellit hanc rem ut tu cogites? Nunquam ego...

CORV. Agedum, absolve quod dicturus eras.

TORQ. (*turbate*): Nihil equidem... nunquam me fecisse quidquam sceleris.

CORV. Pro sceleratis ergo Christianos habes, et recte, inquam.

TORQ. (*secum*): O me ignavum, me imbellum hominem!

CORV. Siquidem saepe audivi impurum Christianorum genus esse arti magicae impri-
mis deditum et omni flagitio.

TORQ. Tace!

CORV. (*altius*): Iam ante saecula in Aegypti agros sparsisse pestem, vexasse decies

plagis magicis horribilem in modum homines ac bestias.

TORQ. Nimium est!

CORV. Etiam plus. Quidquid mali ingruerat humano generi, culpa fiebat Christianorum. Quin isti mortem machinantur principi. Plena superstitionis religio. Ipsis peior eorum confidentia est; sic videntur sibi sacra aqua tolli super principes.

TORQ. Nimium, inquam!

CORV. (*secum*): Irretitus est. (*Alta voce*): Illud vero inhumanissimum, quod nocturno congregati tempore occisi infantis ferocia diabolica carne vescuntur et sanguine.

TORQ. Hoc mentiris scelus!

CORV. Eugapae! Haec in praefecti filium vox mercede sua compensabitur. Sed tu, qui scis me dicere mendacia?

TORQ. (*magna voce*): Quia ipse Christianus sum, paratus vel mori.

CORV. (*retrogradiens*): Tu Christianus? Rectene audio Torquatum esse Christianum?

TORQ. Dixi. Iam me mitte!

CORV. (*clam*): Tene, tene! Cave hic aufugiat. (*Voce aperta*): Iam vereor, ne, valde quae tibi noceant, sim percontatus.

TORQ. (*cum fiducia*). Intrepidus rem sequor Christi.

CORV. Iam diu id tu facis?

TORQ. Nihil dicam. Christianum hominem non decet esse proditorem.

CORV. Tantum volo monitum. Ventus fertur nocturnus. Eamus domum (*Abit tarde, saepe retortis oculis*).

(*Ad proximum numerum*).

Dr. IOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.
ROMAE. – TYPIS POLYGLÔTTIS VATICANIS.